

Yd
3486





RK 228.

9.

74

Yd
3486



11

ORATIO

IN

GENEALOGIA

DE

REVERENDISSIMO

FRANCISCO

DE

REVERENDISSIMO

FRANCISCO

DE

FRANCISCO

DE

FRANCISCO



ORATIO

Sub auspiciū seculi post C.N. decimi octavi
Kal. Januar. Anno Æræ Dionysianæ

CICICCCI

Ad alumnos Portenses

habita,

Cum auctario Epistolæ

Ad plur. Rever. atq. Clariss.

DN. M. JOHANNEM AN-
DREAM *Gleichem!*

Scriptæ

a

M. DANIELE *Müller!*

Illustris Scholæ Portensis Rectore.

Numburgi Typis SALFELDII.



ORATIO

Sub auspiciis Illustrissimi et Reverendissimi
Kal. Januarii Anno Domini MDCCLXXII

CICCCI

Ad alumnos Portensis

in

Commodissimi Episcopi

ad hunc usque

DM. JOHANNEM AN

DREAN

Scriptor

5

M DANIELLE

Illustris Scholae Portensis Rector

Nürnberg Typis SALFELDII





Qui seculum decimum octavum

auspicati sunt Alumni Portenses, quibus de
victu & Informatione prospicitur.

- Johannes Martinus Jugler/ Pegaviensis Misnicus.
Johannes Gottfried Münchwis/ Friburg. Thuring.
Johannes Christianus Herzog/ Dresdensis Misnicus.
Esaias Hartmannus, Delicianus Misnicus.
Georgius Carl Winckelmann/ Neukirch. Variscus.
Christianus Gottfried Schreck/ Offitienfis Misnicus.
Gottfried Rühlmann/ Lauchensis Thuringus.
Johannes Heinrich Schmidt/ Sangerh. Thuringus.
Johannes Christophorus Mannisfe/ Sangerhulafanus Thuringus.
Gottfried Eleasar Neubauer/ Berolinas Marchicus.
Johannes Georgius Bauer/ Belgeranus Misnicus.
Gottlob Heinrich Scheucker/ Luppenfis Misnicus.
Christophorus Gottlob Waltrich/ Döbelensis Misnic.
Gottlob Marci, Neustadiensis Misnicus.
Ernst Philippus à Wolfersdorff/ Nobilis Saxo.
Johannes Georgius Scheucker/ Luppenfis Misnicus.
Johannes Georgius Schneider/ Leucop. Misnicus.
Adolph Friedrich Buchhauser/ Königst. Misnicus.
Johannes Carl Röber/ Johann Georgiopolit. Misnic.

Johannes Heinrich Vogt/ Radebergensis Misnicus.
 Johannes Ernst Nausch/ Weissenfelsensis Misnicus.
 Samuel Helm/ Arterensis Thuringus.
 Johannes Friedrich à Wolfersdorff/ Nobilis Saxo.
 Johannes Friedrich Weinig/ Muehelenfis Thuringus.
 Georgius Bernhardus Francke/ Portensis.
 Carl Christianus Besser/ Liffensis Misnicus.
 Georgius Ernst Knoblauch/ Eckhardesbergensis Thuringus.
 Johannes Gottfried Bornemann/ Delitianus Misnicus.
 Salomon Gottfried Harger/ Struppenfis Misnicus.
 Johannes Jacobus Horn/ Numburgensis Thuringus.
 Johannes Friedrich Schellenberg/ Stollbergensis Misnicus.
 Andreas Herold/ Revaliensis Livo.
 Gottlieb Heinrich Hermann/ Marienbergensis Misnicus.
 Theophilus Grabner/ Tschoppachensis Misnicus.
 Samuel Rudolph Hesse/ Mugelensis Misnicus.
 Christianus Mey/ Neustadensis Misnicus.
 Johannes Gottfried Haugsch/ Oelsnicensis Variscus.
 Johannes Paulus Lucius, Dresdensis Misnicus.
 Heinrich Gottlob Modrach/ Dresdensis Misnicus.
 Johannes Benjamin Goffe/ Dresdensis Misnicus.
 Johannes Georgius Wunderlich/ Adorfensis Variscus.
 Johannes Carl Becker/ Hallensis Saxo.
 Bodo Heinrich Beyer/ Haksiffelensis Saxo.
 Adam Christianus Helleborn/ Hensbergensis Misnicus.
 Johannes Christianus Weisse/ Pogavienfis Misnicus.
 Heinrich Christophorus Grothuff/ Zwenizensis Misnicus.
 Paulus Christianus Lichtenbahn/ Schneebergensis Misnicus.


Johan-

Johannes Gottlieb Zäncke/ Weissenfelsensis Misnicus.
Johannes Christophorus Geradehand/ Delitienfis Misnicus.
Johannes Jonathan Schadarius, Muchelensis Thuringus.
Johannes Georgius Erbstein/ Langensalzensis Thuringus.
Andreas Christianus Leischning/ Langensalzensis Thuringus.
Johannes Georgius Lorenz/ Langensalzensis Thuringus.
Daniel Friedrich Seidler/ Roslebenfis Thuringus.
Augustus Volkner/ Mörkerlingensis Thuringus.
Gottfried Augustus Wschnev/ Haynenfis Misnicus.
Johannes Georgius Hebenstreit/ Neustadiensis Variscus.
Johannes Christophorus Klett/ Radebergensis Misnicus.
Claudius Andreas Cysfel/ Erfurtensis Thuringus.
Johannes Adam Weber/ Lauchensis Thuringus.
Johannes Friedrich Vollrath/ Sangerhufanus Thuringus.
Christophorus Heinrich Thömel/ Oelsnicensis Variscus.
Johannes Georgius Horn/ Voigtstadensis Thuringus.
Christianus Elias Römer/ Numburgensis Thuringus.
Johannes Gottlieb Rosinus, Wurzena Misnicus.
Johannes Jacobus Stein/ Numburgensis Thuringus.
Johannes Christianus Stromer/ Weissenfelsensis Misnicus.
Johannes Christianus Haase/ Macherensis Misnicus.
Elias Friedrich Geißler/ Keuschbergensis Misnicus.
Johannes Caspar Eysenberg/ Numburgensis Thuringus.
Johannes Christianus Strauß/ Gera Variscus.
Johannes Georgius Krug/ Weida Variscus.
Johannes Georgius Schale/ Ostitiensis Misnicus.
Johannes Mauritius Sommerlatte/ Mühlbergensis Saxo,
Christianus Meißner/ Zöribigenfis Saxo.
Gottlieb Wilhelm Schammer/

Johan-

Johannes Georgius Schammer/
 Johannes Georgius Rumber/Plaviensis Variscus.
 Christianus Jeppel/ Waltersdorffensis Misnicus.
 Gottfried Salomo Dalichou/ Hengersdorffensis Misnicus.
 Johannes Gottfried am Ende/ Pegaviensis Misnicus.
 Carl Friedrich Steuch/ Numburgensis Thuringus.
 Johannes Friederich Tschau/ Lipfienfis Misnicus.
 Johannes Christianus Weidelforn/ Osterfeldensis Osterlandus.
 Hieronymus Gottlieb Hayne/ Numburgensis Thuringus.
 Augustus Ernst Albrecht/ Flosbergensis Misnicus.
 Christianus Augustus Lerchner/ Weissenfelsensis Misnicus.
 Justinianus Gottfried Nockenthien/ Numburgensis Thuringus.
 Christianus Friedrich Stromer/ Weissenfelsensis Misnicus.
 Carl Friedrich Bergmann/ Greussen Thuringus.
 Johannes Friedrich Junghans/ Wolckensteinensis Misnicus.
 Christophorus Zahn/ Mariabergensis Misnicus.
 Johannes Christianus Mühlbach/ Senftenbergensis Misnicus.
 Christianus Benjamin Lehmann/ Wiefenthalensis Misnicus.
 Johannes Georgius Sperbach/ Bischoffswerdenfis Misnicus.
 Johannes Wilhelm Müller/ Jenensis Thuringus.
 Johannes Christianus Böttger/ Frohndorffensis Thuringus.
 Johannes Georgius Eulenberg/ Numburgensis Thuringus.
 Johannes Antonius Böschel/ Lipfienfis Misnicus.
 Benjamin Nitz/ Dömizensis Lusatus.

Monumentum hoc
 anni secularis primi,
 gloriae atque gratiae divinae dedicatum,
 boni ominis & recordationis ergo
 lxti lubentesque suscipiant
 ab Auctore.



I. N. J.

ORATIO

Habita Kal. Januar. Anno 1701.



Mirum vobis, atque insolitum dubio procul videbitur, Humanissimi Auditores, Portenses florentissimi atque in spem patriæ nobis commissi, discipuli filiorum instar dilecti, quod ego, qui hæcenus orationum vestrarum auditor affedi, jam ipse in medium, verba facturus, prodeam. Etenim ita usu receptum est, ut festivæ solennitates, anniversariæ memoriæ, divinorum beneficiorum recordatio solennibus orationibus à selescto è vobis oratore celebrentur: auscultandi benevolentia, statutis ita volentibus, à me poscatur. Quid ergo? Quæ me ad dicendum causa impalir? Quid ad novum hoc institutum sollicitavit? Ambitionis forte stimulus fuit? ut laureolam in mustaceo quærerem, vobisque dicendi laudem præriperem? At verò quam misera foret hæc gloriolæ cupiditas! Longe a me abesse novistis ipsimet hanc vanitatem. Qui me quotidie propemodum inter vos versantem cernitis, verba de variis rebus facientem auditis; vix tale quidquam de me poteritis suspicari. Illine ergo, qui munus hoc in se suscepturus erat, obstiti livore quodam suffusus? Ab hõc vero teterrimo vitio, quod sine jactantiâ dico, abfui semper, aberoque

A

quam

quam longissime; qui progressibus vestris lator potius, nunquam luminibus cujusquam quicquam obstructurus. Singularis ergo me religio tetigit, quæ animum, linguam, os movit, ut eâ me exsolverem? Equidem redeunt quotannis Kalendæ Januariæ. Redit quotannis celebranda ineffabilis illius divini beneficii memoria, qua vel saluberrimam Salvatoris circumcissionem meditamur; vel præstita nobis à Deo per elapsum tempus beneficia gratæ mentis significatione excipimus; vel votis nuncupatis nos, nostram, Scholæ, patriæ salutem Deo commendamus. Inficias tamen ire possum neutquam, diem hunc anni auspiciem præ reliquis multis mihi visum esse singularem, quem majore platu excipere, sollemnioribus verbis celebrare, notâ meliore & in seculum iturâ signare conveniret. Est ille primus, non anni modo, sed seculi, Kalendæ quæ jam illuxerunt, sunt novi temporis primitiæ. Mensis, qui hodie capit exordium; exordium simul est anni primi subsequæ sequentis seculi. Attulit hora præteritæ noctis duodecima, è consuetâ computatione, finem integri seculi decimi septimi post saluberrimam Christi Servatoris nativitatem. Ab illo momento jam sex horæ seculi decimi octavi effluxerunt, quod Deus sapientissimus temporum distributor, rerum moderator benignissimus sinat è veteri formula esse felix, faustum, fortunatumque ecclesiæ, rei que publicæ, nobisque omnibus. Diem igitur celebratis maximè solennem. Diem celebratis, quem nemo nostrum vidit, nemo forte visurus est. Cujus enim usque adeo ambitiosa est spes, ut sibi seculum vivendi spondeat, atq; inter rara vivacitatis exempla computari posse existimet? Rectè igitur seculares suos ludos centeno quoque anno celebraturi Romani per præconem hac formulâ pronuntiabant atque edicebant: Convenite ad ludos spectandos, quos neque spectavit quisquam, neque spectaturus est. Rectè nos etiam eadem formulâ nos invicem exhortamur. Convenite, convenite ad celebrandum diem, quem neque vidit quisquam, neq; visurus est. In ludo quidem hōc ludus non agetur. Agetur tamen, quod pietas erga Deum poscit, quod temporis sollemnitas requirit, quod officii nostri ratio imperat. Regrediamur
in

in exacti seculi memoriam; evolvamus non actorum volumina, sed temporum discrimina; ob oculos sistamus faciem elapsi seculi, quam & in ecclesiâ & in republicâ gessit: in quo argumento ita versabimur, ut animi nostri à præteritorum bonorum consideratione ad agendas immortalis Deo gratias; è malorum, quæ undique impendent, aspectu ad preces atque vota facienda compellantur. Audiendi benevolentiam exorarem, nisi vos sponte vestrâ mihi libentissime aures præbere scirem.

Duo sunt veluti poli, quibus vastum hoc rerum humanarum corpus versatur; quibus salvis, salva omnia; luxatis aut in se violenter concurrentibus, nihil reatum, nihil incolume: Religio & Respublica. Quis utriusque per seculi præteriti decursum status? quæ vices? quæ concussiones? quibus machinis restituta, operæ pretium erit contemplari atque exponere, non conquistis verborum flosculis; sed ex vero, ipsaque temporum teste historiâ prævia. Ex quo divinâ Evangelii luce collustrata erat Saxonia nostra, non extitit tempus, quo majore tranquillitate doctrina illa floreret. Ecclesiæ ubique docentium sedulitate, auditorum multitudine frequentari: Scholæ ubique erigi: doctores celeberrimi sibi invicem cum laude succedere: dogmata è Scripturæ fontibus tractari: ab adversariorum strophis vindicari: ipsi Principes magno cum applausu à majoribus transmissam veritatem fovere. Quos inter optimus Imperator Rudolphus, quem, si quid peccavit, peccavisse mansuetudine fatebuntur vel ipsi fugillatores Majestatis (si tamen hoc est peccare) Rudolphus, inquam, non tam supplicantium precibus victus, quam veritatis radiis percussus Bohemis & Silesiis religionis puræ indulsit libertatem, datis etiam literis, quas vocabant, Majestaticis. Sacrosanctum inde Silesii vigesimum sextum Augusti, Bohemi decimum tertium Julii habebant diem anni millesimi sexcentissimi noni.

Parva quædam à vicinâ Styriâ, Carinthiâ, Carniola, deinde à Suevicâ Donawerdâ exoriebatur nubecula, instar illius, quam in summa serenitate conspicabatur exurgentem Propheta pro gloriâ divini nominis ardentissimus Elias; quæ ad

manus instar se extollens, mox totum densissimis tenebris, atrâ caligine, pluviâ uberrimâ involvebat cœlum solumq; Inductus ab inquietis illis turbonibus, quorum nomen sanctum, facta sacra, Ferdinandus Archi-Dux, qui Styriam cum Imperio tenebat, ut libertatem conscientiarum multo auro redemptam subditis suis circumcideret, proprias desolari voluit provincias, ut aliorum misericordiæ pateret exulum miseria. Consilio datus successus improbitatem animavit in majora. Matthiam generosæ mentis animique imperterriti Principem, cui, vivo Rudolpho Cæsare Hungaria & Austria accesserant, aggrediuntur, ut sacrorum exercitio suis interdiceret Austriacis. Prudentia tamen Principis, & supplices subditorum preces tum contra prava consilia evaluerunt. Evalere tamen minime potuerunt adversus ingruentia Germaniæ fata, quæ & religionem & regionem miris conturbaverunt modis. Proludebant hisce iragædiis, & classicum canebant incentores belli acerbi, incendiarii orbis nefandi, Tarpeji Jovis fulmina fabricantes, quos Solipsos non nemo haut inique vocavit. Dilliangens præ cæteris has partes sibi deposcebant. Nuntii aderant coelestes, minime profecto spernendi, quos inter vel unus in æthere Cometa in stuporem hodieque rapit de illo legentes. Apparebat ille anno decimo octavo sæculi, majestatem simul atque indignationem Domini sui referens. (a) Ambitu suo æquavit semidiametros terræ quadringentos quadraginta quinque, quæ faciunt, vulgari milliarium Germanicorum enumeratione si utamur, milliarium triginta octo millia ducenta & septuaginta, atque ita septuagies major fuit, quam maximus terræ circulus. Quis tantam facem non illico portendere exitium, Palladioque migrationem auguraretur? Nec diu dilata est ira divinæ executio. Infelix Bohemia vicinæ Germaniæ belli incendium transmisit, quod ecclesiarum, templorum, scholarum florentium excidio, docentium exilio, audientium interitu, totius patriæ ruina extinguendum erat; nisi velut è machinâ Deus adfasset, atque è vaginâ illa gentium subsidia, è tenebroso Aquilone lucem, è glaciali Boreâ calorem submisisset,

(a) *Vid. post alios Voss. de Idolol. lib. 3. c. 9. p. 770.*

quo fota religio, represſi cōnatus exitiabiles, ex hoſtium un-
guibus erepta rudera, quibus inſtauraretur denuo poſt tricen-
nale incendium ſacroſancti Palladii penetrale; ringentibus
licet, atque contra cælum Avernumque commovere molienti-
bus iis, quorum intererat, nunquam rūrſus coaleſcere Germa-
niam. Nimirum id actum erat, ut Edictum illud Cæſareum
vini acciperet, quod ſancitum erat de reſtituendis bonis omni-
bus eccleſiaſticis & dignitatibus, quæ poſt Paſſavienſem paci-
ficationem à Proteſtantibus occupata erant Principibus. His
conſiliis cum ſe maſcule opponerent hi, verſa eſt rerum facies.
In anguſtiis redacta eſt uſque adeo potentia ſe ipſam non ca-
piens, ut eâ pace, quam annus ſeculi quadreſimus primus
concepit, annus quadreſimus octavus poſt multas difficul-
tates parturivit, non eam modo, quæ per Paſſavienſem trans-
actionem hæcenus tolerata erat, religionem, Proteſtantium
dictam, admittere, verum etiam alteram, quæ Reformata no-
mine gaudet, in ſinum Imperii æquo Jure recipere cogeretur.
Innocentio quidem, ejus nominis Decimo, Romano Pontifici
pax hæc iniqua videbatur. Fabius Chiſius, Epicoſopus tunc
Neritonenſis, Nuntius in Germaniâ Apoſtolicus, poſtea Ale-
xander VII. publice intercedebat: At vero jamdudum Germa-
nia dedidicerat Tarpeja curare ſulmina: ſuis intendere com-
modis edocta, non hoſtium roborare vires.

Exiguo, fateor, circuitu vobis ob oculos propoſitum eſt,
quomodo per bellicos tumultus dimidium ſeculi exegerit ec-
cleſia: neque enim tempus permittit argumentum pro digni-
tate diduci. Pacis igitur ſidus patriæ aſtulgebat, & eccleſiæ,
maximo cum omnium gaudio. Idem autem ſidus ſi Sirio dice-
rem ſimile fuiſſe, minimè forſan errarem. Pacis illa cupiditas
uſque adeo quorundam animos obfederat, ut nihil diſſidio-
rum proſus in eccleſiâ relinquendum eſſe vel exiſtimarent, vel
poſſe relinqui crederent. Nova huic eccleſiaſtica paci novum
erat querendum nomen. Nomen tamen, ut conſilii hujus
auctōribus gratiſſimum, ita partibus quibuſcunque exolum
uſque adeo, ut pari cum hæreſibus claſſe poneretur. Syncre-
tiſimi illud erat. Syncretiſimi, inquam, quem dicas ſtudium

conciliationis atque pacificationis religionum diversarum, potissimum autem Pontificiæ, Lutheraniæ atque Calvinianæ. Ita enim ratiocinabantur: Omnes ac singulas ecclesias, quæ unam eandemque normam fidei ac vitæ agnoscunt & confitentur, juxta quam se in uno fœdere cum Deo in Christo colligari credunt, in conscientiam obligari etiam inter se, ad unitatem Spiritus per vinculum pacis sustentandam ac confitentam. Huic fundamento, ut ædificium superstrueretur; huic consilio, ut in rem deduceretur; huic concordiæ, ut promoveretur, quicquid mediolorum excogitari ab humanâ prudentiâ poterat, applicabatur, omniaque conferebantur ab iis, quibus hæc curæ cordique erant. Neque illi pauci, neque postremi erant nominis. Suscitabantur Georgii Wicelii & Cassandri è cineribus vota. Expendebantur Marci Antonii de Dominis consilia. Srenuè agitabantur omni ex parte. Primum ac potissimum inter eos, qui à Romanâ ecclesiâ discesserant, reconciliatio tentabatur & concordia, remis velisque eò contendente, omnesque nervos adhibente Johanne Dureo, cujus eam ob causam inter amicos & inimicos celebre nomen futurum est. Erat ille natione Scotus, doctrinâ insignis, propositi tenax, laboris patientissimus, molestiarum omnium, dum sua urgeret, contemtor, concordiæ per quadraginta annos & quod excurrit, sollicitator & procurator strenuus. Hic totam (b) ferme Europam, quam late patet, terrâ marique peragrabat, ut animos hominum sensusque exploraret, virorum prudentium & moderatorum consilia quæ ad instaurandam concordiam, ad tollenda dissidia inter Protestantes fatalia pertinere judicarentur, exquireret. Invenit etiam applausores, aut certe ejusdem secum voti animique. Quanta meditatus sit celeberrimus, & in antiquitate ecclesiastica versatissimus Juliæ Academicæ Theologus Georgius Calixtus: quas sibi paraverit inimicitias, dum amicitiam ac concordiam meditatur; adhuc testantur scripta publica. Neque solus ille in Ixionio hoc Saxo sudavit. Helmstadiensis, Rintelensis, Regiomontana Academia hæc de causâ cum Wittebergenfi & Lipsiensi, parte Jenensis, Argem-

(b) *Vid. Thom. Grenii Animadvers. Philol. & Hist. part. 2. p. 43.*

gentoratenſitem; Tubingeniſi, Giſſenſi, Marpurgica, Gryſiswaldenſi Academia committebatur. In Septentrione Johannes Matthia Stregnenſis Episcopus magno ſuo cum malo hunc Olivæ ramum præferbat. Quid vero prohibet, quo minus etiam à Romanenſium partibus hoc idem Saxum volutum dicam, ab Andrea Fricio Modrevio quondam; à Voluſio, à Gibbone de Burgo, aliisque: qui tamen diverſis planeque contrariis viis incedendo effecerunt, ut eorum omnium laboribus inſcribi poſſet:

Saxum ſudans nicendo, neque proficit hilum. Josephus Hall, Hulſemannus, Calovius, Danhauerus profundiores diſſidii radices oſtenderunt, quam ut humanâ evelli poſſent manu: fruſtra optari pacem; in quâ periclitetur veritas: aliter humanam ſibi verſutiam conſulere; aliter divina decreta tractari. Cum auctoꝝibus igitur ſuis exſpiraverunt hæc conſilia: deſeruit ille meditata ac tentata, optata ac ſperata concordia ardor, qui per ſæculi præteriti quadrantem flagravat: unicum paſtorem unicumque gregem futuro, poſt deſagrationem omnium diſſidiorum ipſiusque adeo mundi, ſæculo relinquens.

Non tamen in viris piis extinctus eſt, ſed ſuccesſit fervor promovendæ ſerio pietatis; qui à dogmatum licibus ad eam, quæ Chriſtianos decet, vitam reſpicientes, deprehenderunt, proavorum noſtrorum memoriâ raram admodum mercem fuiſſe Fidem, cum omnes cathedræ omniâ pulpita meritis operum perſonarent: noſtro tempore, cum de fide apud nos ubique ſermo eſt, propemodum apud Garamantas quarendum eſſe vivum illum ac verum Dei cultum, proximique charitatem: Suarum igitur partium eſſe exiſtimantes huic morbo ſuccurrere, quaſi verunt per pia deſideria deſiderium pium in aliis vel accendere vel reſuſcitare. Bonum factum! niſi ſe vitium ingeſſiſſet: quodque in humanis fieri ſolet rebus, dum morbus unus expellitur, contrarius ſuccesſiſſet, aut, dum regia via quaeritur, imprudenter, ad devia abiretur. Quis crederet, è doctrinâ quam veritas ipſa cœleſtis firmat; quam omnium ſæculorum auctoritas ſtabilit; quam ipſi, qui eam oppugnant, nega-

negare non possunt; quam approbarunt calculis suis; quam suspexerunt, quam amplexi sunt illi de quorum sinceritate ne dubitare quidem licet; tam funesta oriri potuisse disfidia, tantos à primo proposito errores atque devia itinera observari, in tanta præcipitia discessum esse: nisi nostra videret atque deploraret ætas. Neque coalescunt vulnera; sed nova identidem, gementibus & dolentibus iis, quibus salus ecclesiæ, quibus salus propria, quibus salus aliorum curæ est, sese produnt. Plura de his differere, reverentia erga eos, quorum meritis meliorem apud posteros optamus memoriam, non permittit: præsertim cum ad cætera properandum sit.

1150 Etenim postquam vidistis Ecclesiam in hoc, quod trans-
egimus, seculo, primum quidem Martis furore cruentatam,
deinde ab ambientibus procis Penelopeis sollicitatam, deniq;
præ cultus ornatusque studio à (c) *γυναικονόμοις* etiam pro-
pmodum laceratam & deformatam, convertendi sunt oculi
ad rempublicam ejusque fata: si tamen hoc solum tribus ver-
bis addidero: non meliorem, imò deteriorem quoque fuisse
faciem eorum ætuum, qui à nobis dissentiant, vulnera cru-
diora: quamvis strumam dibapho tegere, hydropem sindone
velare, sub fūco turpitudinem abdere noverit Romana Siren,
in aliorum vitis tam acutum cernens, quam aut aquila, aut
serpens Epidaurius, sua male inunctis oculis videns, nec cer-
nens mantica quod in tergo est.

Rei ergo publicæ fata fortunamq; spectabimus. Hic si orbem
Europæum mecum lustrare ac per lustrare velitis, dies hic, imò
ipse quem ingredimur annus, deficiet. Quis enim oratione una
eaque brevibus circumscriptâ lineis speret comprehendi posse
integrorum voluminum opera, quæ nobis extremum Europæ
ad Occidentem regnum, Hispaniæ dico, objicit? Exhibuit in
illius theatro præteritum seculum potentiam Hispanicam con-
siliorum vehementiâ attritam, & adversus Belgarum toleran-
tiam, acerbitate infractum robur regni florentissimi; ejectis
per superstitionem subditis imminutas & exscissas copias:

1151 (c) *quis γυναικονόμων magistratus apud Athenienses vid. Em-
mum in Rep. Athen. p. 90.*

præfectorum cupiditate atque ambitione his propemodum
extortam Neapolin : eorundem vitio avulsam Lusitaniam :
ereptam bello Catalaniam : ad eas tandem incitas redactam
illam tam divitem, tam potentem, tam fastidiosam Hispani-
am, ut vivo videnteque Rege Carolo mitissimo, velut ad se-
ctiorem conveniretur à vicinis, inaudito omnibus seculis ex-
emplo, quod postremus elapsi seculi annus attulit; vidique
expirantem in defuncto Rege magnorum illorum herorum,
qui universo orbi terrorem incutiebant, qui ad omnes terra
partes imperium vel extendebant, vel extensuros se minita-
bantur, progeniem: vidit mira rerum conversione regnum
in illius manum tradi, à quo ut necaperetur, omnibus viribus
annitebantur, qui jam dolent se non potuisse id adhibita qua-
vis prudentiâ præcavere.

Quis explicare se satis posse credat, quantis è tumultibus,
tristisque prorsus & execrabili fato, quod Henrici Magni Re-
gis nefaria crides attulerat, ad quantum culmen pervenerit
sub herois illius nepotè Gallia? Deprecamur quidem, ut mol-
lissimè dicam, parasiti illius Tolosatis ambitionem, & averrun-
cabit illam etiam, qui hætenus Austriacam domum susten-
tavit, Deus, Historiarum Gallia dedicationem hęc emble-
mate exornantis: Patrem, Ludovicè Decime quartæ, sequere,
quæ monstrat viam, pèrge intrepidus, & eris Cæsar. Accipio
omen, eris Cæsar. Hæc de Te, Rex, præfagia sunt, ut in Bor-
bonios transferas aliquando, quem Austriaci duobus abhinc
seculis successivè possident Occidentalis Imperii titulum. Sed
non ego credulus illis præfagiis. At certè negari non potest, in
fastigium felicitatis seculo, de quo loquimur, hoc deductum
esse regnum Francicum. Loquuntur hęc Rupella capta
gloria Francorum (quid enim dissimulemus?) ad veteres Gal-
lia limites promota: ultra Alpes, Rhenum, ac Pyrenæos mon-
tes progressa arma: contra tot simul hostes susceptum gestum-
que, & in emolumentum Gallia finitum bellum, ipsaque sub
exitum seculi Hispania successione & accessione aucta in im-
mensum potentia.

Quem non terret Britannia per seculum elapsum con-
fusio?

cussio? Parum erat, regem pacis amantissimum infelicibus
 Germaniæ turbis involvi, & per latus generi ad vivum vul-
 nerari; nisi majores etiam tumultus ipsam in Carolo I. concu-
 terent Angliam. Multiceps illa bellua, novi regiminis appe-
 tens, per vetustum illud in Cantabrigiensi Academia (d) in-
 ventum oraculum impleturâ videbatur, quo regum Anglico-
 rum describebatur series: Mars, Puer, Alecto, Virgo, Vulpes, Leo, Nullus:
 nec pauci erant, qui de regno regibusque Britanniae actum esse
 crederent. Revixit tamen in Carolo II. monarchia, propaga-
 ta ad infelicem hodie ex regem Jacobum, qui sua sibi fata cum
 acceleraret, Wilhelmo gloriosissimo, quem invictus animus
 non minus, quam amor in populum Angliæ, reddere posset gra-
 tissimum, nisi novi aliquid semper illa parturiret Insula, ad libe-
 randam primo Angliam, deinde ad sceptrum quoq; pertracto.
 Idem dicendum erit de Septentrionalibus regnis,
 quorum admiranda fata posterorum scriptis predicabuntur.
 Dani seculum decimum septimum felici recordatione Chri-
 stiani IV. Regis signabunt, qui Daniam è lateritiâ marmoream
 efficere aggressus est, nisi quod bellicæ furia pacis deturpave-
 rint gloriam. Loquentur annales, eousque redactam Martis
 Suecico sedem regiam ipsumque regnum, ut, nisi extensam ad
 coronæ raptum dexteram cælitus missa depulissent auxilia,
 actum foret. In ambiguo relinquetur tamen, plusne Cimbria
 per traditas vicino provincias tres florentissimas amiserit, an
 plenâ potestate ad regiam familiam jam liberatam ab optima-
 tum arbitrio translata lucrata sit. Candido lapillo notabunt victorias, triumphos, tropæa,
 pace belloque ampliatis regnandi fines Sueci, quorum
 terras si hodie conspicerentur Birgeri, Frothones, Asmundi,
 Haldani, Hotheri, Ingones, Berones, Suercheri Reges, non
 agnoscerent præ splendore, cultu, amœnitate, quam seculum
 elapsum his contulit, quas illi horridas, incultas, inamœnas
 possederant. Verè in Magni Gustavi Adolphi Epitaphio
 scriptum est: Regnum ditavit, Suecos exaltavit. Hoc ipsum
 encomium veluti legem æstimaverunt sibi scriptam successio-
 nis. (d) Vid. Peller. in Polit. sceler. p. 47. res,

res, ut ad hodiernas usque turbas Martio successu se hostibus
terribiles, subditis amabiles præstarent. Quis finis sit futurus
armorum, quæ subitanea nec prævisâ tempestate illos invol-
verunt, seculum ostendet inchoatum. Absque piaculo fieri
non potest monstrum illud, & exemplum sine exemplo Regi-
næ Christianæ, quam illud etiam seculum protulit, fovit, exal-
tavit, deturbavit sponte suâ; in prudentiâ suâ imprudentem,
in generositate humilem, in pietate impiam, in virtutibus vi-
tiolam, in illius religionis acropoli, quam parens usque ad
sanguinem prosequeretur, mortuam.

Et sane hæc ipsa, quæ regno sponte se abdicavit, alterum
quoque regni abdicati exemplum nobis revocat in memori-
am, Casimiri videlicet Poloniæ Regis, cui placuit à throno ad
mandram concedere. Neque illâ solum mutatione insignivit
seculum Polonia. Decrevit, dum Sueciæ titulum reddere coacta
est, dum Livoniæ renuntiavit, dum Borussia Domino suo tra-
didit, dum mercenarios Cosaccos sibi leges scribere vidit. Cre-
vit dum adversus juratum Christiani nominis hostem, & alibi
& ad Vientiâ, victoriâ potirerur nunquam hominum me-
moriâ vel annualium fide elapsuram, dum Caminiecum turpi-
ter traditum cum gloriâ & sine sanguine recuperavit, dum sub
Augustissimo Rege Friderico Augusto floret. Et floreat salvâ
Saxoniâ.

Præterire cogor, exclusus temporis angustiâ, Belgii af-
fertam libertatem, Venetorum cum Turcis confictus, Mosco-
viam tyrannide afflictam, & caput ultra suam barbariem nunc
attollentem, Turciam periodo suæ vicinam, ut ea, quæ propius
tangunt nos, Romano-Germanicum scilicet Imperium vobis,
brevisiter quamvis, ob oculos sistam. Nihil ibi novi factum esse
dicetis, Imperatores vixerunt: id etiam antea. Bella gesta sunt:
& olim. Dissidia excitata fuerunt & sopita: id ante nos quo-
que factum est. At verò in hisce omnibus singularia quædam
& insolita fuisse præterlapso seculo fatebuntur, qui rerum cir-
cumstantias eventusque prudentius solent expendere. Bellum
plusquam civile, cruentum, crudele, cujus vel solam mentio-
nem parentibus nostris horrorem incutere memini, eo tende-

battandem, ut domus Augusta Austriaca, quæ nimis videbatur
potens, rebus & imperio cedere, sceptrum deponere, ad lares
suos redire cogeret. Fortius atque robustius surrexit. Mo-
narchiam quintam à quartâ Germano-Romanorum ad vicinos
transferendam, nisi superioris præcedentis seculi exitu frustra
somniabant Hispani, ita insolentia quædam tanquam ovum
subventaneum conceperunt proximo seculo Galli. Monar-
chia quarta adhuc stat, Germanis hætenus divino beneficio
debita. Germaniam tanquam opimum quoddam spolum
inter se partiti erant, qui infidis auxiliis & consiliis miseranda-
claverant: & eximias sane lacinas Alsatia, Pomerania, Me-
gapoleos exteris cessisse negari non potest. Visceratiorem
tamen illam prohibuit is, cuius in reges ipsos est imperium.
Tempestas ab Occidente novâ turbamem ac præterem qui ab
Oriente irruerat, exitium mirantem non modo terris, sed & ipsi
Imperatoris sedi, comitabatur, ut quasi manufactâ utrinque
opprimerent suspirantem patriam. Defuit pravis consiliis
succensus. Successit tranquillitas. Fatale quoddam videtur,
ad Orientem dilatarî debere Augustum Imperium. Quamquam
hic me comprimo, ne de Hesperia, quæ cum novo seculo no-
vum scribendi argumentum, solitudinum materiam, even-
tuum ambiguitatem, suspensorum animorum ægritudinem
meditari ac afferre videtur, quicquam sinistri. Est igitur sæ-
culi miraculum Augustissimus Imperator Leopoldus, in quem
frustra hætenus vis, frustra fraus suas siccas, sua expedit
arma.

Quoniam igitur hæc tendunt omnia? Quo? nisi ut
somniautos extollamus oculos, ut ab hisce inferioribus ad
eum suspiciamus, qui sapientissimè, clementissimè, potent-
tissimè res humanas moderatur. Perpendite mecum, quot
exempla præteritum seculum ostenderit divinæ erga Christia-
norum populum, erga ecclesiam suam, erga alumnos verita-
tis, ac beatæ illius ac magnæ civitatis hæredes, bonitatis, quæ
coelestem lucem, quam indulgit, extingui passâ est minimè:
quin promissum æternæ veritatis, quod portæ inferorum ad-
versus suos nunquam valeant, constantissimè servat. Per-
pen-

pēndite mecum, quōt specimina videatis divinæ sapientia, quæ consiliis omnibus humanis superior, res nostras ita temperat, ita gubernat, ut, quocunque tandem rapiantur fluctu, extra præscriptos sapienterque præfinitos terminos nunquam rapi possint. Pēndite mecum argumenta divinæ iustitia, quæ sic bona malaque bonis malisque distribuit, ut neque coniveat, neque unquam vel minimo quidem momento lancem in alterutram partem ab æquilibrio discedere permittat. Pēndite mecum divinam potēntiam, quæ ita sese exseruit, ut cum nihil ipsi sit nimis validum, nimis potens; tamen nunquam erga suos, reperiatur tarda vel sēra; ad opem præstandam potius semper præsto, semper parata: adversus eos, qui giganteo illam ausu tentant, triumpho clara: iis, qui se submitunt, placabilis.

Te igitur, Deus, cuius bonitas est maxima, cuius magnitudo est optima, auctor statorq; uti omnium rerum, ita & temporum, à quo omnium seculorum ortus, ad quem omnium seculorum decursus, qui clementissimè, sapientissimè, potentissimè ordinas omnia, Te appello, Te imploro: à Te rite seculi huius capimus exordium, ad Te merito sub illius auspicio grati supplicesq; convertimur: audi clementer quæ dico; audi quæ precamur. Tuum est munus, quod seculum etiamnum mundo indulseris, ut tuos in illo colligas, ecclesiæq; militanti atq; triumphanti plures adjungas. Tuum est munus, quod exacto seculo ecclesia tua stet, quod verbum tuum apud nos conservatum sit, quod illud fructu Tibi soli cognitos & perspectos tulerit. Tuum est munus, non humana prudentia consilive, non humani roboris, quod res publica firmata sit, neque tot inter tempestates naufragium fecerit: ut nempe sitatrix & nutritrix extus illius, quem Filius tuus dilectissimus sibi proprium colligit. Tuum est munus, quod patria nostra suo stet robore firmata. Tuum est munus, quod hanc etiam literarum & virtutum officinam factam tectamq; conservaveris, quod consilia (ô quoties!) hostis tui exitiosa retuderis, ne in nervum erumpere, virusq; suum spargere potuerint; quod multas & non dubias significationes dederis, quibus Te freti vivere potuimus. Tuum est munus,

quod diem hunc seculi ineuntis primū salvi adspiciamus atq;
incolumes. Tuum est munus, quod lati in Te gaudentesque
muneribus tuis etiamnum fruamur. Multa prætereo, quia
multum festino. Accipe, inquit cum Augustissimo ecclesiæ pa-
tre Hipponensi episcopo, (e) accipe confessiones meas & gra-
tiarum actiones, Deus meus, de innumerabilibus rebus etiam
in silentio. Audi vero etiam clementer quæ precamur, Jesu
Christe, cui sceptrum regale Pater æternus dedit, ut ecclesiam
tuearis tuam! Conserva cœtum illum tuum, quem pretioso san-
guine redemisti: Sedem tuam etiam hoc seculo, imò usq; ad
ipsius universi ruinam sequentibus, si qua supersunt, seculis,
apud nos fixam firmatamq; habeas: aliis vero, qui ea felicitate
non fruuntur, eam pro immensâ tuâ bonitate concedas. Publi-
cam rem sub Imperatore Augustissimo, sub Rege Clementissi-
mo, sub Principibus Celsissimis patriæ conserva, tuere, adauge.
Regi nostro Augusto Friderico, nutritio atq; altori munificen-
tissimo da principalem Spiritum, quem omnis comitatur pro-
speritas. Princeps Juventutis, delictum nostrum, sit delictum
tuum. Sic domus Saxonica cedri instar, sit semper virentis um-
braculi instar. Concede clementissimè, ut munera tua, quæ
huic scholæ contulisti, propria illi sint atq; perpetua: ut supe-
riorum & inferiorum, docentium & discipulorum, eorum qui
templo, scholæ, œconomix vel præsent vel adfunt, vocibus lau-
des de tuis beneficiis quotannis per ingressum hoc seculum de-
cantentur. Præprimis suavissimum tuum promissum, quod ex
ore infantium & lactentium, ex ore puerorum & adolescentum
laudem nominis tui sanctissimi suscipere velis & amplificare,
præsta ubertim. Multa (repeto) prætereo, quæ precor etiam in
silentio. Vos quoq; vos, qui in silentio mecum precamini, filii
dilectissimi, quibus silentibus felix seculum, faustum auspici-
um, fortunatum successum, optatum exitum apprecor, mecum
hæc vota nuncupate, nuncupata quotidianis precibus firmate,
firmata porro à divinâ munificentia & inexhausta benignitate
per illum, per quem omnia nobis donantur bona, indubitato
expectate,

EPISTO.

(e) Aug. Confess. l. 9. c. 3.



EPISTOLA

Ad

Virum pl. Rever. atque Clarissimum
DN. JOHANNEM ANDREAM

Gleichen!

Ser. Elect. Saxon. à concion. & sacris.



Quod Tibi, Vir pl. Rev. atque Clariss. debeam gratias, publico existimavi declarandum esse testimonio. Favore tuo me Tibi ignotum amplexus es, literisq; amicisimis compellâsti. Addidisti munus, schediasmata tua, quæ, ut ingenii tui monumenta doctrinâ, elegantia, argumenti selectu se commendant; ut munera mihi missa, propensi in me animi argumenta sunt certissima. Neq; hinc tua substitit promissio. Parum videbatur, nisi & in monumento quod publici fiebat juris, honorificam mei faceres mentionem: Daumianis enim epistolis, quæ typis descriptæ sunt anno abhinc quarto meum quoq; nomen præfigere, easq; mihi dedicare voluisti. Illic quidem manum calamo admovebam, & quod paucis ad Te scriptis verbis promittebam, gratias me acturum esse, præstitorus eram; sed tot alia super aliis intervenerunt, ut in hunc usq; annum protaheretur

retur officii mora: id quod temporis factum est variabilitate, quæ nec Tibi ipsi, opinor, ignota est, neque aliis: quo circa ulteriorem excusationem obrudere Tibi, ut gnaro, nolo. Ab ingrati vitio me facile excusabit animus meus & tuus. Pervici tandem.

Equidem & is, ad quem B. Daunius epistolas, quas edidisti, scripserat, V. Cl. Heckelius, quem nunc ad meliorem sortem divina evocavit ex hac vitâ providentia, editorum operum partem aliquam me spectare voluit. Edidit Ausonium Popmam, cujus singularis industria, & utilissima in dignoscendâ tradendaque Latinæ linguæ proprietate suam apud eruditos cujuscunque professionis invenit laudem. Hunc insigni auctario ornavit atque eruditorum gustui propinavit, & in ejus fronte meum quoque nomen reliquorum nominibus, quibus editionem hanc inscripsit, addidit, antiquam Academicæ amicitia memoriam recenti testimonio vel repetiturus vel renovaturus. Quam in illo auctore posuit operam, ea satis testatur diffusam ejus lectionem. Si Popmæ multis noctibus, multis vigiliis suus constitit labor; quis Commentatori ejus eandem *ἀδελφίαν* denegabit, quam & viri celebritate nominis eximii, quorum literas in Dedicatione citat, haut inviti fatentur. Si fructus is à Popmæ opere in orbem literatum redundavit, quem epistola dedicatoria editionis Giessensis Anno Christi 1654. aperit, ut pristinus linguæ Latinæ nitor eo restitutus, usq; genuinus intento ostensus digito, pravè vero loquentium, eamque sermonis rationem sequentium, qualis è monachorum claustris prorepere solet, cacoëthes masculè repressum, confutatum, datumque in ruborem fuerit: cui dubium erit, magnam etiam è luculentis illis observationibus accessionem factam esse supellectili propriæ atq; purioris Latinitatis, quod inter primas linguæ virtutes ponitur. Tua vero, Vir Clar, industria non in singulis vocibus, non in laciniis quibusdam è monumentis antiquorum colligendis desudavit; sed integrum nobis dedit corpus epistolarum. Quid dicam? vivam quandam imaginem viri, quem merita in has humaniores literas etiam exteris carum atque conspicuum reddiderunt, vivam, inquam,

inquam, imaginem humanitatis, candoris, eruditionis quæ in
B. Daumio eluxit, nobis sistit labor ille tuus. Qui pictoriam
& catoptricam exercent, cylindricas quandoque proponunt
imagines, quæ in chartam conjectæ aut pannum, artus Æsonis
aut filiorum à Medeâ dilaceratos exprimunt: Si speculum cy-
lindricum adhibeas, aut verum deprehendas firmi, facies per-
fecta apparet, & integra operis artificis elegantia. Tu hoc
artificio usus es. E dispersis illis particulis aut epistoliis Dau-
miana facies interior facile noscitur, si sincerus adhibeatur ani-
mus. Gratia Polyhistori illi Jenensium Bosio, quem & ipse
in præfatione nominas, debebantur, qui Rei nesianas & Dau-
mianas epistolas non sinebat interire. Gratia tibi quoque
debetur, qui fugitivas illas Daumii ad Hekelium chartas vin-
dicas atque retrahis. Dignus verò tali vindice B. Daumius,
cujus tanta erat viventis modestia, ut ab omni ambitione pro-
cul, non sub vili palliolo Diogenianum fastum, sed sub pallio
Philosophico Philosophicum, verè, inquam, Philosophicum ge-
staret animum. Saltem igitur post fata fatis melioribus di-
gnus judicabitur. Non nosse se ipsum inter vitia ponitur à
sapientibus: in Daumio præcipua pars laudis erat non nosse
se ipsum. Ignorare volebat ipse, quod de ipsius virtute scie-
bant alii: tanto majoris æstimatus semper, quanto se ipse æsti-
mabat minorem. Quæ dum sæpius in mentem veniunt, con-
venire mihi fors ejus visa est cum eo, cujus scriptione atque
lucubrationibus de Antiquitatibus Romanis etiamnum ju-
ventus ἀρχαίολογος fruitur, qui que primus glaciem ad illas il-
lustrandas apud nos fregit, neque procul Portâ, in Numbur-
gensis nempe urbe vixit, obscurâ tamen famâ, locoque humili,
cujus etiam vix tenuis memoria supererat apud suos.

Est is Johannes Rosinus, de quo cum pauca extent, ne
prorsus cum ipso sepulta omnia videantur, non ingratarum erit
Tibi, Vir celeberrime, si quæ de illo comperi, partem aliquam
hujus scriptionis sibi vendicent. Natus est ille Isenaci, nobili
Thuringiæ urbe, (a) patre Bartholomæo, cui cognominem
etiam habuit Fratrem, Ipse Bartholomæus Rosinus Pesneicii

C

(a) Antiqu. Rom. in titulo, & carmine fratris.

in Va-

in Variscia natus (Wesneck vocant) Germanico cognomine
Drossfeld dicitur, vernaculum hoc solum cognomentum Latino
mutare voluit, quod hodieque familiam illam notiosem red-
dit quam Rosfeldiorum. E Variscia in Thuringiam Isena-
cum delatus, ibique scholastico munere functus est, quod e
Mel. Adami in vitas Widebrami (b) cognoscitur, ubi in ea urbe
egregios formandae juventutis artifices Medlerum & Rosinum
hunc, floruisse refert: plenus vero postea, dum hanc scriptio-
nem meditor, ex Historia Isenacensi Virinon de antiquitatibus
modo patriae Germaniae, sed & de omni elegantiori doctrina
egregie quotidie merentis, cujus monumenta plura indies, ut
licet in videant, desiderantur, Christiani Francisci Paulini,
quam Historiam suo Rerum & Antiquitatum Germanicarum
syntagmati inseruit, haec didici, e pag. 153. nempe quod primo
Rectoris, postea Ministri ecclesiae munere functus fuerit, cujus
etiam viri celeberrimi industriae debentur, quae de satis illius
& successu in Pastorum Vinariensem (c) in eodem opere nar-
rantur.

Ad nostrum autem Johannem Rosinum ut reddamus,
prima literarum fundamenta Isenaci & Vinariae jecit, (d) studi-
orum vero suorum cursum beneficio & liberalitate Johannis
Wilhelmi Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis, Principis opti-
mi & clementissimi in Academia Jenensi continuavit. Ex Aca-
demiâ Ratisbonam evocatus fuit (e) ad munus Contrectoris
obeundum, docendam ac regendam juventutem in Gymnasio
Poëtico, circa annum Christi 1584. quod e Chartâ ecclesiae Ca-
thedralis Numburgensis patet, in qua Pastorum illius ecclesiae
series consignata est. In hac functione cum praeter alias Le-
ctiones etiam Ciceronis Epistolae ad familiares explicandas
sunt, vidit se sine historiâ & antiquitatibus Romanarum co-
gnitione operam in illis Iusurum: cum creberrima Comiti-
orum,

(b) Mel. Adam. Vit. Theol. p. 562.

(c) Paulin. Annal. Isenac. p. 182. 190.

(d) Vid. Dedicat. Antiqu. ad Duces Fridericum Wilhelmum &
Johannem.

(e) Epist. ad Lectorem praemissa Antiquitat.

rum, variorum Magistratum, Judiciorum, Legum occurrit
 mentio, militaria, vel è Jure petita etiam vocabula frequentia
 sunt. Igitur librum quendam optavit extare, in quo antiqui-
 tates illæ præcipue explicarentur. Neque enim tum facilis
 erat illa cognitio, cum ipsemet fateatur, se de libro Manutii
 quem de Legibus scripsit, inaudivisse tantum, non vero eum
 legisse. Inter eos quos expectabat de Romanis Antiquitati-
 bus scripturos, etiam nominat Efroniam Wittebergensem (f)
 quem non dubito per errorem positum pro Esromo Rudinger,
 qui Portansis quoque Scholæ Conrector, sed ex eâ dimissus fu-
 it, cujus vitam etiam Melior Adami in Vitis Philof. & Philol. (g)
 descripsit. Is enim Wittebergam abiit, ibique Professor fa-
 ctus vitam Ciceronis aliaque erat editurus. Noster Rosinus
 morarum & expectationis pertæsus, tandem ipsemet Corpus
 quoddam Antiquitatum construere, & eo ordine, quo nunc li-
 ber conspicitur, digerere cepit, usus consilio Johannis Thomæ
 Freigii, Gymnasii Altorffini Rectoris, & Legum Doctoris cele-
 berrimi: sic enim eum appellat, (h) nec non Johannis Wolffi
 Rectoris Scholæ Ratisbonensis, Doctoris Simonis Osterman-
 ni, præsertim Oberti Giphanii, qui & ipsum ad opus perficien-
 dum & edendum hortati sunt, viri quos edita scripta elimata
 erudito orbi commendarunt. Non præter mittenda est inge-
 nuæ ipsius confessio ex Epistolâ ad Lectorem, quæ primis An-
 tiquitatum editionibus præfixa est, quo etiam in præfatione
 sive præloquio earundem Antiquitatum digitorum intendit, dū
 de causis, quæ ipsum ad scribendum impulerint, agit. Hæc
 enim confessio ipsum à plagii crimine, acerbioribusque judi-
 cis liberat. *Neque vero, inquit, dissimulandum hic est, quod
 cum in Lectione librorum Caroli Sigonii de Judiciis, &
 Nicolai Grucchii de Comitibus versarer, usque adeo mihi
 diligentia eorum & ordo placuerit, ut non dubitarem hos
 duos libros de Judiciis & Comitibus, alterum quidem ex*

C 2

Caroli

(f) in ep. ad lectorem.

(g) p. 372.

(h) in Epistolâ ad eum.

*Caroli Sigonii, alterum ex Nicolai Grucchii monumentis
 totos describere, & in hoc opus referre: paucissimis qui-
 busdam mutatis, & omissis tot testimoniis auctorum, quæ
 ipsi coarctatim, non sine gravibus & iustis causis adduxe-
 runt, alioqui nimium bi libri excrevisset. Quæ in re ve-
 lum candidos Lectores meum consilium attente considera-
 re, nec nimium faciles ad damnandum vel accusandum
 me plagii esse. Ostendit etiam, se minimè hos libros è juve-
 num manibus excussos velle, sed orare potius, ut quæ in Anti-
 quitates suas ex his retulit, non pro suis, sed pro Sigonii &
 Grucchii libris habeantur, iisque potius, quam sibi, gratia ha-
 beantur. Quæ ingenua confessio ipsum sine dubio è plagia-
 riorum numero exemit, quibus à B. Thomasio in opere suo de
 Plagio literario minime est insertus. Anno seculi illius octo-
 gesimo primum ejus opus hoc prodit, Illustris Principibus
 Friderico Wilhelmo & Johanni grati animi causâ inscriptum.
 In posterioribus editionibus, in quibus Dempsteri Paralipo-
 mena accesserunt, non comparet illa Prefatio, justamque cau-
 sam querelæ etiam illius dat, quam sedula atque laudatissima
 Thomæ Crenii industria instituit, cui, ut in deorum convivio,
 sic in eruditorum atque sapientum operibus maxima cura ha-
 stenus fuit, ne qua vel minima Ambrosiæ particula delapsa pe-
 reat, (ut Philostrati verbis lib. 1. Vitæ Apollonii Thyaxi utar)
 quam non ille tollat, & eruditis curis palato reddat gratiorem.
 Is enim Animadversionum curiosorum parte. 1. & 2. (i) de
 Prefationibus Scriptorum in novâ editione illorum omissis
 hanc injuriâ conqueritur.*

*In Scholasticis laboribus perstitit Rosinus usque ad an-
 num 1590. quo ad ecclesiasticam functionem evocatus fuit in
 pagum Wickerstedt diœcesi Vinariensi: quod non modo cum
 honoris prefatione nominandus Paulini refert (k) in quo Ty-
 pographi vitio Wickenstedtensis Pastor vocatur; sed & ecclesiæ
 Num-*

*(i) Th. Cren. Animadvers. Philol. & Histor. part. 1. cap. 1. p. 1. 2. seq.
 part. 2. c. 1. p. 1.*

(k) Annal. Isenac. p. 234.

Numburgensis Charta confirmat, addens, eum inde Anno
1592 nonagesimo secundo ad commendatitias literas Se-
renissimi Administratoris Electoratus Saxonici à Reveren-
dissimo Capitulo vocatum esse, cathedralis ecclesiæ Pastorem.
Sint auch endlich verba sunt Chartæ, auf des Herrn Administratoris
der Chur Sachsen/ Herrn Herzog Friedrich Wilhelms / un-
term dato den 30. Augusti 1592. beschehene Gnädigste Recom-
mendation, von einen Hochwürdigem Dom-Capitul zu Naumburg
eodem anno 1592. den 26. Octobr. zum Dom-Prediger da-
selbst/ nach Herrn Joachims Utechs Abzuge vociret worden / wor-
rauffer Monate Novembri anno 1592. seinen Anzug gehalten.

Celebritatem nominis ipsi Antiquitates editæ pepere-
runt, adeo ut viris, quos hæc jucundissima studia capiunt, haut
difficulter innotesceret. Inter quos etiam Jacobus Bongarsius
erat, Consiliarius Regis Galliæ Henrici IV. qui regis sui ne-
gotia in Germaniâ ut Legatus procurabat, vir eruditione, ju-
dicio & virtute præstans, (1) Thuano judicante, qui ipsum a-
more complectebatur singulari. Cum enim in Regis sui ne-
gotiis versans Numburgum transire necesse haberet, ibique
in hospitio publico cui Cataphractus insigne etiamnum est,
versaretur, sedulo de hoc Rosino, quem convenire animus
erat, inquisivit, vixque tandem per signa quædam descriptum
ipsum invenit, cum notius ejus Nomen esset Cognomine. Ad
se accedere ipsum volentibus domesticis restitit, ipse scilicet
coram virum allocuturus. Itaque curru ad Præpositi palatium
defectus, Rosinum ædibus, quæ ad sinistram portæ, qua ad
Præpositi habitationem itur, sitæ sunt, evocatum salutat, sed
plane alium, quam sibi finxerat, invenit, humilem nempe, &
propemodum tanti comitatus splendore præstricta oculorum
acie. Compellatus humaniter à Legato, ostensa etiam effi-
gie, numquid Bongarsium nosset? interrogatus: Se de facie
ipsum non nosse respondit, licet literarum cum ipso colat
commercium. Bongarsius se ipsum illum esse affirmat, in Mu-
seum cum ipso ascendit, tacitusque secum miratur & dolet
hominis vicem, dumque libros perlustrat & industriam viri

C 3

(1) *Histor.* l. 118. T. 5. p. 721a

considerat; longe splendidiorem in Galliâ ipsi conditionem
 offert; si se sequi velit. Facile consensisset Rosinus: unum
 tamen obstabat, religio. Quid vero, inquiebat, fiet de re-
 ligione? Negavit Legatus, se de eâ cavere posse. Non igitur
 placuit Rosino conditio; sed in officio permanere atque in
 loco visum est. Bongarsius hominis vel simplicitatem vel con-
 stantiam cernens: Non inveni, inquiebat, virum quem qua-
 sivi. In currum tamen suum ascendere iustum liberaliter
 in hospitio publico excepit, & scriptis suis donatum dimisit.
 Ita vitam inter sacros & profanos labores ad annum usque
 Christi 1626. produxit, quo peste epidemiâ sublatuſ est die
 VII. Octobr. ac die XI. ejusdem mensis in cœmeterio Asyli
 (auf der Freyheit Gottes-Acker) humatus, nullâ quidem pompâ,
 quam contagionis triste tempus prohibebat, neque Epitaphio
 quodam aut monumento ex meritis viri posito: quin etiam vi-
 tæ ipsius curriculum non inveniri potuisse; sed temporum
 difficultate evanuisse Charta Cathedralis ecclesiæ restatur, cui
 de anno ac die beate *diva Margarete* tutissima habetur fides. Quod
 pace magni Viri Paullini scribo, in cujus Annalibus Isenacen-
 sibus (m) culpâ procul dubio typographi, anni numerus ex-
 cidit, cum solus dies 7. Octobr. ponatur, atq; ex Esaiæ Leich-
 felderi vitâ Rosini MSS. in Notis annus 1619. nominetur. Mo-
 numentum, quod temporum aut fortis iniquitas tunc non ad-
 misit, atque apud suos hanc de defuncti memoriâ curam ex-
 cussit, anno elapsi seculi decimi septimi sexagesimo nono sup-
 plevit Vir, quem honoris causâ nomino, Clarissimus, Scholæ
 Asyli Numbürgensis Rector cum laude dicendus. Dn. M. Fri-
 dericus Berger, à quo alia quoque plurima, quæ ad Rosini
 vitam pertinent, imò ipsa occasio inquirendi in sortem ejus
 per amicum colloquium suppeditata fuerunt; dum defunctæ
 conjugis Frauendorffæ tumulum Saxo ornât. Nam post bea-
 tæ uxoris celebratam Inscriptione memoriâ, quam Inscr-
 ptionem quidem hûc referre nihil attinet, additum est Chro-
 nostichon

HICCO

(m) p. 335.

HICCE stros Cineres restitCo tibi Iane Rosine
Hos Mea Cofia CapIt: nē Vtrivsq̄e trilas.
AMPLIORIS FAME QUAM FORTUNE ANTIQVA
RIO 7. OCT. PESTE SURREPTO DEBEBAT
FRID. BERGER, RECTOR.

Ita vindicata est ab oblivione ipsius post mortem memoria,
quam vivus libris editis vindicabat. Præter Antiquitates enim
Romanas edidit Exempla Pietatis Illustris, vel vitas trium
Ducum Saxonie, Friderici III. Sapientis, Johannis Constantis,
& Johannis Friderici Magnanimi: iisdemque Principibus,
quibus Antiquitates antea, dedicavit, in quibus luculenter
Ducum illorum vitam gesta que prosecutus est & illustravit,
typis que ea commisit Anno 1602, Jenæ. Porro Turcica varia,
de bello adversus Turcas gerendo, in quibus & Chronicon
Saracenicum & Turcicum Wolfgangi Drechsleri. Neque
etiam liberis orbis decessit: quæ paternam memoriã conser-
vare possent; siquidem è conjugio cum honestissimã matronã
è Loberorum familiã, cujus parens Johannes Loberus Prin-
cipis ac Ducis Saxonis Vinariæ fuit *αρχιεραυαλεις*; duo tibi
pignora reliquit potioris sexus, Johannem ac Bartholomæum:
de quorum altero, Johanne, nihil certi constat, ita ut vero
simile sit, ipsum præmaturã morte sublatum; alter, Bartho-
lomæus, Anno 1594. in Alumnorum Portensium numerum,
testante Matriculã, receptus, postea Philosophiæ Magister, &
Scholæ Cizensis Con-Rector factus, Anno 1611. d. 14. Sept.
ibidem mortalitatis legem implevit, relictã post se viduã, quæ
in torum cessit M. Wolfgango Eyllenbergio Pastori Mimlebiæ;
quod cœnobium tribus à Portã milliaribus ad Onesfrum ab
Ottone I. Imperatore Imperatoriã magnificentiam exstructum
in honorem B. Virginis Mariæ, viscera corpore exempta magni
illius Casaris continet (n) etiamnum templo splendorem pri-
stinum è fumosã facie ostendente. Is bibliothecæ reliquias,
quas vel creditorum importunitas, vel bibliopolarum sua re-

(n) vid. Bacler, de Rebus sec. 9. & 10. p. 281. Witichindi Corbei. An-
nales lib. 3. extremo apud Meibom. Rer. Germ. T. 1. p. 662. &
Chron. Magd. T. 2. p. 276.

poscentium æquitas, quandoquidem in solum ipsos recipiebant, è paupertinâ sorte superesse volebat, secum Mimlebiam transtulit, quos tamen milirum insolentia postea diripuit atque perdidit.

Hæc de Viri illius, qui certè de literaturâ & Antiquitatibus Romanis minime male meritus est, vitâ, recordatione B. Daumii, quem præclarum Philologum in pluribus fors Rosino æquavit: quanquam in eo felicior Daumius, quod instruatissima Bibliotheca ejus meliorem fortunam sit experta, melioremque collocata loco, curâ Ampliss. Senatus Cygnei, qui publicæ Bibliothecæ illam laudabiliter inseruit: de quo instituto postea. Jam Clarissimo Rosino illud adhuc deberi existimo officium, ut ab acrioribus judiciis, quæ aliquid ex iniquo habere videntur, ipsius candor vindicetur. Exiis enim, quæ de occasione atque genere scribendi suo ipsemet in medium affert, mitius sanè judicium expectare potest. Pace proinde viri magni, quem occidentis propemodum Philologiæ Hesperum Germania nostra, in eaque Misnia venerata, & qui condigna laude spoliandus non est, dixerim, satis pro sui ævi conditione ipsum fecisse, qui, qualia potuit, nobis dederit. Acre est, quod extat in Variis Lectionibus (o) quarum reconditam eruditionem nemo non suspicit: *Isle homo in quodvis opus condemnandus potius fuit, quam ad Romanas antiquitates digerendas admittendus: aded nihil sani ubique ferè docet, nisi cum autores integros describit, & nihil de suo inculcat: quamprimum autem vel tantum excerpta dat, vel è suo penu aliquid, nugæ blatit, & meras ineptias.* Ignoscant tanti viri manes Rosino, quod in causâ quam ipsi impingit, hic magnis auctoribus peccarit, non ideo tam ipse, quam is quemsecutus est, Lilius Gyraldus (at quantò in literis sui sæculi vir) in jus vocandus: quippe qui in Calendario Romano-Græco, quod libro de Annis & Mensibus (p) subnectit, ad VIII. Kl. Aug. sive 25. Julium nostrum annotat:

Hoc

(o) Reines. Var. Lect. l. i. c. 15. p. 58.

(p) Mensè Julio & Aprili.

Hoc mense vultu canes canicula sacrificabantur. Vide Festum. Quin potius omnino non peccavit Rosinus, qui cap. 8. l. 4. de Robigalibus mense Aprilis fufis agit, neque illa in Julium transfert, sed tantum canum immolationem huic mense ex auctoritate Festi adscribit. Levius quoque est id quod Reinesius cap. 14. ejusdem libri de voce Seradium adfert, quam ut adeo acerbe perstringatur. Vox etiam Sardo Teutonibus ex origine Hebraica asseritur in Glossario Ulphila-Gothico (q) Junii & Stiernhelmii. Humanus de Antiquitatum auctore nostro judicat alterum Saxoniae decus G. Barthius in Animadvers. ad Rutilii Itinerarium elegantissimum (r) *neminem existimans ferè Rosino nimis ambitione utilis & planius res priscae juvenutem docuisse.* Celebr. Paulinum, qui plura de eo collegit etiam contra Kippingium judicium, (s) compilare nolo.

E satis longo diverticulo in viam, ad Daumium b. m. redeo, cujus vel ideò sancta est mihi memoria, quod ipse in celebri Scholâ Cygneâ, & quæ olim inter præclaras habita est, Georgio Agricolæ, Petro Plateano, Johanni Rivio eorumque aliis successoribus suam debens gloriam, successor fuerim. Neque enim vel amplissimi Senatus Cygnei, interque illos Viri consultissimi vñ év ἀγίων, Dni. Danielis Ferberi, Jcti celeberrimi, tum Consulis judicium de me contemnendum; neque benevolentia Cygneorum, qua susceptus sum, oblivione obliteranda; neque ipsius beati Daumii favor parvi pendendus mihi videretur; quod hic ultro ac sine morositate ac difficultate, quam aliis objecerat, vivus etiam, sed ob ingravescentem quotidie è senio valerudinem è carceribus solvendus, me sibi adjungi passus fuerit; Senatus vero idoneum, cui illa lampas traderetur, me judicaverit. Cum enim anno seculi præteriti octogesimo septimo Holmiâ in patriam ad transigenda privata quædam cum meis negotia iter suscepissem, amicorum, quibus cum ab Academiâ etiamnum mihi intercesserat notitia, & qui suam mihi conservarant benevolentiam, quos

D

inter

(q) p. 65.

(r) ad Rutil. l. 1. vers. 584. p. 188.

(s) Chron. Jfenac. p. 235.

inter B. Fellerus mihi etiam post fata nominandus, si fasu effectum est, ut patriæ meam operam, si quâ indigeret, conferendam existimarem, necumque ageretur, ut Seniori jam B. Daumio accedere vellem adjutor. Quod eâ lege susepi atque recepi, si bonâ cum pace Teutonice Ecclesiæ quæ Holmiæ est, à Rectoris Scholæ illius munere dimitti possem. Insigni siquidem, & nunquam satis prædicando Sereniss. Regum Sueciæ beneficio atque clementiâ jam inde à temporibus Johannis Regis & Anno Christi 1571. Natio Germanica Holmiæ templum obtinuit, in quo vernaculâ suâ linguâ sacra perageret ipsa sacros doctores, Collationi & Confirmationi Regiæ (ut vocant) offerendos, eligere atque habere potest. Quod concessum clementissimè privilegium à gloriosiss. Successoribus, Carolo, Anno Christi 1606. die 25. Julii, itemque 1607. die 21. Januarii, à Gustavo Adolpho, Anno 1612. die 31. Maji, à Christianâ Regina, Anno 1637. die 18. Novembris, à Carolo item Gustavo & Carolo XI. confirmatum & auctum reperitur. Ad ditum aliud beneficium, ut Schola quoque jungeretur templo, institutioni publicæ destinata non linguæ Germanicæ tantum causâ, sed ut eruditæ quoque linguæ atque disciplinæ ibi traderentur: in quâ inter Antecessores meos celebrem sui memoriam reliquerunt M. Johannes Colerus Lubecensis, dissertationibus de Bombyce, & de Mirandis naturæ publico datis; & M. Johannes Herbinius solertissimus didacticus, lucubratione de Catarrhactis & de Cryptis religiosis Kyoviensibus scriptâ eruditus suum commendantes nomen.

Ad inceptæ narrationis seriem revertor: Placuit utrinque conditio. Probatis coràm consilii mei causis, a spectatissimis Senioribus & Assessores Teutonice Holmiensis Ecclesiæ missionem, eamque honestissimam & honorificam impetravi, quamvis invitè à tot Patronis atque amicissimis hominibus, quos diuturna in Suecia, præprimis Holmiæ, mansio mihi conciliaverat, quibus haut exiguis nominibus me obstrictum fateor, divulsus, atque Anno subsequenti octogesimo octavo Cygneam redii, ubi jam fata beati Daumii ad Rectoris munus ex sententiâ Senatus amplissimi aditum straverant.

rant. Favor & benevolentia Cygneorum omnis ordinis man-
sionem mihi diuturnam ominabantur, praesertim cum inter ea,
quae desiderio satis facere possent, Daumiana esset Bibliotheca,
& copia & praesentia librorum ad eruditionem variam perti-
nentium instructissima: abdita adhuc tum, & oclusa, quod
de pretio emtionis inter Senatum & haereditum Curatores satis
liquido non conveniret. Gratulor tamen Cygnensibus, quod
thesaurum istum jam post abitum meum sibi habeant propri-
um, atque priscae suae inseruerint Bibliotheca, quae M. Step-
hano Nothe / e scholastico pulvere ad (v) Senatorium ordinem, ac
demum ad Syndici translato officium, vel primordia, vel certe
augmenta & meliora debet auspicia. Hinc etiamnum supra
fores Bibliothecae illius icon suspensa, una cum subscripto epi-
grammate memoriae causa conspiciebatur. In manuscripto
quodam, in quo varia circa illud tempus scripta collegit non
incuriosus aliquis, quod tamen lacerum in manus meas per-
venit, epitaphium ejus inveni, quod ob ejus memoriam Tibi,
Vir Venerabilis atque Clarissime, non ingratum erit; neque
enim typro excusum arbitror.

Viri venerabilis Magistri Stephani Noth / Se-
natoris Cygnæi Epitaphium, qui obiit VI.
Idus Julii Anno Domini
M D. XLVI.

Cum Phœbus nitido lustraret jubare cuncta,
Cumque vacans cælum nubibus omne foret.
Cum ventis placidae starent glacialibus undæ,
Talia venerunt conspicienda mihi.
Muldanius caput auricomum pater extulit undis,
Is multum lacrymans talia voce refert:
Plangite Pierides, plangat domus humida Glauci,
Cultores celebris plangite Zuicaviae,

D 2

Tri-

(v) Schmidt Chron. Cygn. part. 1. pag. 414. 382.

Tristia namque deus vobis grave fata tulerunt,
Lucem cum decimam Julius attrulerat.
Laudibus hunc nemo poterat celebrare sat amplis,
Qui Stephanus celebri nomine Ruffus erat.
Namque Minerva suâ præclarum hunc reddidit arte:
Artibus ingenuis inclytus ille fuit.
Nobile Cygnei decus is fuit usque Senatus,
Cœlicolæ vitam quam tribuere diu.
Multa fuere prius nimium confusa, Senator
Certo quæ vigilans ordine restituit.
Aucta ejus sunt consilio bona publica multum,
Commodaque instituit multa Reipublicæ.
Curavit studio vigilans atque omnia cura,
Curia quæ patriæ conficienda dedit.
Præterea pueris fuit hic solamen egenis,
Qui pro pere studiis incubuere bonis.
Hos quaqua potuit ratione modoque juvare,
Ullis haut operam denegat ille suam.
Concordes Parcæ, discunt quæ parcere nullis,
Huic vitam misero præripuere suam.
Heu crudele, rapax, & inexerabile fatum,
Quod vitam reprobis prorogat usque suam:
Qui præstare solent verè sua commoda multis,
His aurâ vesci non datur æthereâ.
Talis erat, rapuit tristis quem nuper Alesto,
Nomen cui patrium Ruffa Corona dedit.
Hunc igitur numero velit ut sociare piorum
Ante Patrem sanctâ tendite voce manum.

D. W.

Exo-

Exorandi vero sunt, quicumque Bibliothecam illam curant, ut quæ vir ille, Daumium dico, indefessa atque indefatigabili industria ad juvandas bonas literas collegit, præprimis apparatus, quem conscribendo Lexico Latino post se reliquit, & Manuscriptis Daumianis publico ne invideant: Siquidem inexhaustam legendi notandique cupidinem fuisse beato Philologo testantur tot propria manu notati atque enorati Codices suæ bibliothecæ. Me ab illis delitiis divina providentia abstraxit, cum auspiciis arbitrio atque jussu Clementissimo Serenissimi atque gloriosissimi Electoris Johannis Georgii III. Domini mei Clementissimi, anno seculi elapsi nonagesimo ad functionem hanc in Illustri Gymnasio Portensi, quod Divina bonitas ad finem usque seculorum in gloriam nominis sui & patriæ emolumentum pietate verâ, bonis artibus & literis consecratum florere jubeat, suscipiendam lectus atque constitutus fui.

Quamquam neque hic desit quo animus oblectetur, minusque etiam deesset, si prisca canobii monumenta, quæ partim veterum incuria partim belli tempestas dispersit, conservata adessent. Et fugientia quædam deprehendi, quæ ne planè pereant, liceat hic inferere. Quod si non tanti videntur, oculus, ad epistolæ satis proluxæ epilogum properans, ea prætereat. In fenestrâ Orientali templi Portensis supra altare encaustico artificio vitreis rhombis, qui oras fenestræ claudunt, variegatis colore literis preces ad B. Mariam Virginem fuerunt inscriptæ, vel si mavis, iniustæ tales:

Salve mater Salvatoris, vas electum, vas honoris, vas cœlestis gratiæ.

Ab æterno vas prævisum, vas electum, vas excisum, manu sapientiæ.

O Maria stella maris, dignitate singularis, super omnes ordinis ordines cœlestium.

In supremo sita poli nos commenda tuæ
proli, ne terrores sive doli nos supplan-
tent hostium.

In procinctu constituti te tuente sumus tuti,
pervicacis & versuti tuæ cedat vis vir-
tuti dolus providentiæ.

Jesu verbum sancti Patris, serva servos tuæ
matris, salva reos, salva gratis, & nos
tuæ claritatis configura gloria. Amen.

Altera fenestra illius pars, in quâ Crucifixus Christus conspi-
citur, servat reliquias hymni ad Crucem circa oras eodem ar-
tificio quondam inscripti:

O crux lignum triumphale, mundi vera sa-
lus, vale, inter ligna nullum tale, fron-
de, flore, germine.

Medicina Christiana, salva sanos: ægros sana:
quod non valet vis humana fit in tuo
nomine.

Assistens crucis laudi consecrator crucis au-
dis, atque servos tue crucis post hanc
vitam vere lucis transfer ad pallatia.

Quos tormentis vis servire fac tormenta
non sentire: Sed cum dies venit ire,
confer nobis & largire sempiterna
gaudia.

Est hæc pars hymni in laudem Crucis, qui incipit: *Laudes cru-
cis attollamus*, qui totus extat in Hymnario impresso Basileæ
per

per Michaëlem Furter Anno Christi 1497. cum Commenta-
rio, fol. 36.

E sublimi in pavementum si descendamus, ad fini-
strum Altaris latus effigies Brunonis occurrit, cui olim appo-
sita fuit hæc Inscriptio:

Bruno Comes fundator hujus Cœnobii.

Ad dextrum Cornu effigies Udonis, cum sequenti quondam
titulo.

**Udo Episcopus Numburgensis Fundatoris
propinquus.**

Hic Udo I. Ludovici Saltatoris Landgravii Thuringiæ Filius,
undecimus Numburgensis Episcopus, electus fuit Anno Do-
mini 1126. & Anno 1148. in expeditione sacra cum Conrado
Imperatore dum rediret, naufragio periit, ut *Johannes de Isenach*
in Actis & Factis Prasulum Nuenburgensium (u) annotavit.

Humatus est in Choro, & tumba ex alabastro lapide
ornatus Georgius, Friderici III. filius, Friderici IV. Bellicosi
frater, Dux, de quo Chronicon Portense Pertuchii p. 140. Mo-
numentum Inscriptio testatum est nomen & dignitatem de-
functi, quæ hodie mutila conspicitur: Integra sic habebat:

**Anno Domini millesimo CCCCII. V. Ydus
Decembris obiit Princeps magnificus
Dominus Georgius Marchio Mysnen-
sis & thur. &c.**

Quomodo Epitaphium illud læsum sit, habent Annales Saxo-
nici Mulleri, qui superiori anno prodierunt pag. 2.

Ad latus Septentrionale in pariete monumentum con-
spicitur lapideum viri feminaeque leonibus insistentium, ha-
bitu magnifico, indicium tamen literarum quæ scriptura in
margine ostenduntur, prorsus periit, unde conjicere licet, il-
lud

(u) *Apud Paullinum Antiqu. Germ. p. 133. seqq.*

Ind esse Ducis Conradi & Sophiae Numburgensis, quorum epitaphium Disticho comprehensum *Pertuchius in Chron. Port. p. 295.* scriptum annotavit, reperiturque lapidi sepulchrali inscriptum in peristylio ad januam auditorii Primanorum. Idem p. 167. 180. Epitaphia Bartholomæi Waltheri & Johannis Glenneri refert, quæ utraque in pavimento chori extiterunt; Waltheri ad sublellia partem Australem spectantia; Glenneri in medio Chori ad pedes tumbæ Ducis Georgii: utrumque fugientibus literis, & detritis. His junctum est aliud plane oblitteratū saxum quod conjicitur esse illius Poloni, de quo *Chr. Port. p. 129-* Melius fatum expertus est ipse Pertuchius, cuius lapis sepulchralis hæc continet Epigraphen:

Jesu Christo sacrum

M. Justinus Pertuchius

Poët. Laur. Cæsar.

Illustris hujus Gymnassii, cujus
olim discipulus
fuit, primum,

Conrector industrius,
deinde

Rector Clarissimus,

Homo antiqua virtute &
fide, optimè de præsentibus
posterisque meritis.

Curis & laboribus Scho-
lasticis exhaustus,

cum

cum vixisset annos XXXV. in con-
jugio, & duobus filiis, totidemque
filiabus auctus, ex filia nepres
quatuor vidisset,

Completis fere annis LXIII.
Denstadium cum caelo commutans

pie & placide ex hac vita
abuit non obuit

Anno **MDCCXXVI. VI. KAL. SEPT.**
cujus anima fasciculo viven-
tium, caetera

Hoc tumulto, claudiquæ potuere, jacent.
Ad effigiem Mariæ B. Virginis, quæ puerum Jesum ulnis ge-
stans, Lunam sub pedibus habere conspicitur, quondam in
tabula picta hæc fuerunt adscripta, quanquam locus ubi ste-
terit, ignoretur.

Semper manens illibata, Solis luce trabeata,
Gaudet stellis coronata, Sub qua luna est, locata.
Extra chorum in sacello ad Austrum, ubi Reinhardi Por-
cim monumentum est, sequens etiam saxi sepulchralis conspi-
citur Inscriptio:

Frater Portensis quondam Conradus Aquensis
In tenebris densis non scit tormenta -- ensis.

Quæ in Pertuchio non reperitur. Gratiam quidem ille, opi-
nor rem lectori fecit, quod Chronici libro I. cap. 4. p. 294. Elogia
monumentorum colligeret: Inquirendi tamen laborem curioso
reliquit, quem aliquo modo adimere aut levare, imò addere
aliqua tenrabo. Primum & Secundum elogium de Reinhar-
do Porco ejusque uxore in Sacello Australi majore versus Or-
tum conspicitur, eleganti opere sculptâ imagine Reinhardi
illius, equestri habitu, cum gladio longo latoque ad latus, po-
sito, ad pedes Insignibus equestribus, porco nempe erecto in
clypeo absque galea.

E

Ter-

Tertium & Quartum de *Heldrungensi* & *Tannenrodensi* prole in eodem reperitur sacello versus Occidentem. Tannenrodensis fuit Conradus de Thanrode Numburgensis Canonicus, ut patet è Mortuologio, quod diem emortualem ponit 19. Aprilis, omisso anno; uti tamen conjicere licet è Chronico Portensi (x) non longe ab initio seculi decimi quinti contigit, isq; Conradus Dominus in Stasfurt insignis benefactor fuit Portensis cœnobii.

Quintum de *Adelweide* Gandolphi viduâ in Saxo quod pilæ ad Australem templi partem accline est, apparet.

Sextum de *Lucardi* in pavimento ad parietem Australem templi.

Septimum de *Ludovico Denstadiensis* in Navi templi versus Crucifixum, ad Occidentem templi cernitur. Fuit iste Ludovicus Canonicus Numburgensis, mortuus Martii de quartâ, Anni numerus in Mortuologio omisus est.

Præterea in eadem Navi sive gremio sepultus est Baccalaureus Theologiæ Formatus, in medio, ad utrumque latus alios habens: Prope vetustate exesam Inscriptionem hanc continet lapis:

Anno Domini 1482. 7. Idus Sept. Frater Bartholomæus *Hammer von Heylbrunn* sacre Theologiæ Baccalaureus formatus & novitiis in Porta requiescat in pace Amen.

Ad dextram illius

Hic jacet Mag. Conradus de Mulhausen Canonicus Misnensis & Præpositus Haynensis.

Ad sinistram.

Anno Domini 1345. Dominus Johannes Filius Andree de Magdeburg suffocatus in aquis. D. O. R. N. B. G.

Porro si progrediaris ad portam occidentalem, invenies eam;

Anno Domini 1346. Cal. Maji obiit Henricus Sclack
cujus anima requiescat in pace Amen.

Et

(x) *part. 1. p. 136. 141.*

Et parieti inscriptam circa effigiem Domini de Hagenest.
- Anno Domini M.CCC.LVI. obiit strenuus miles Do-
-minus Thymo Pater Domini Thymonis de Ha-
-genest.

Fuit Hagenestorum familia tum nobilitate celebris; Nam
eorum etiam tanquam Dominorum in Jansrode fit mentio in
Chron. Port. p. 136. part. 1.

Balthasar Abbas 21. dormitorium suum in Sacello S. Mau-
ritii habet, cum Epigraphe à Chron. Port. p. 160. partis primæ
relata.

Non prætereunda est Inscriptio tabulæ Cruci juxta anti-
quum baptisterium quondam affixa, quæ hodie non comparet.

Flecte genu, plora, crucifixum semper adora,
Ihu in non Christum, sed Christum crede per istum,

Ad sacrarium vel adyta templi M. Johannis Hippolyti exci-
sa faxo. stat effigies. In pavimento prominet lapis, cui In-
scriptio addita fuit, Chronostichon, suo tamen modulo utens,
complexa, quam quia annotavit Chron. Port. part. 2. p. 182.
omitto.

Sunt & extra templum in peristyllo, eique adjuncto Sa-
cello vel conclavi plura monumenta Abbatum, Henrici, Cy-
riaci, Petri aliorumque quæ jam prolixitatis causa prætereo.
Et in pariete quo hortus interior versus Septentrionem ex ad-
verso Bibliothecæ clauditur, memoria illius conservatur, qui
parietem extruxit:

Witicho parietem hunc comparavit, retribuatur ei

Dominus in vita eterna.

Fuit ille Witicho miles de Frankleben, ministrans obedienti-
arius Capellæ in Teuchern, cujus justa die emortuali 25. Maji
celebrantur.

Unum est in templo, quod prætereundum non arbitror,
quia multorum, præprimis eorum qui spectatum ab exteris
veniunt, curiositatem, sollicitavit. Sunt in parietibus hinc at-
que inde foramina quædam, non casu sed arte facta, instar ri-
scorum, quæ excavata, postea tectorio operata & incrustata fu-
isse



isse ipsam ostendit facies. In illis pretiosa quaedam fuisse
conservata non inanis est suspicio. Quomodo vero re-
tecta fuerint, sepis quaerunt, incerta varianteque senten-
tia. Sed veritatem cognovi casu quodam ex ore viri admo-
dum Reyerendi Johannis Woltenweberi Pastoris Carsdorf-
ensis ad Onesrum, sub Friburgenſi Diocesi jam propemo-
dum emeriti, qui alumnus Portenſis fuit tempore tricennalis
belli Germanici. Is dum de Portenſibus rebus colloqueremur,
narrabat in Gallico exercitu sub duce Comite de Guebrian,
cujus turma Thuringiam percurſaverint, quosdam fuisse, qui
Canes, Magneticos dictos, secum duxerint; illosque dimissos
scalpendo pedibus loca, thesauros absconditos indicasse. Hos
in templo etiam Portenſi circumcurſitando loca illa abdita
monstrasse, quae a militibus aperta fuerint. Quid autem ibi
reperitum sit, sibi non constare.

Mihi vero tandem aliquando aures vellit tempus, ut il-
lis inharete definam, quae non ad cujusvis gustum sunt. De
Te vero, Vir Amicissime, cujus φιλολογία & φιλοσοφία nota est,
minime ambigo, quin benevole illa suscipias. Deus te
quam diutissime seruet, ut quemadmodum bonae fere gau-
dent, ita ecclesiam crescat tuo labore.

Portae, Anno currente post

Christum natum
MDCCCI,

Tuus

M. Daniel Müller.

Sphalmata.

L. l. A. fac. ult. lin. ult. lege Athen. pro, Achen.

L. l. C. fac. v. a. lin. 8. & 9. lege Daumiana, pro, Daumiana, sup

C. 3. a. lin. 26. lege deVectus, pro, defectus



50-3486 09

m.c.



Pon Yd 3486, 2k
f

ULB Halle 3
003 713 660








OK. 228.

IV, 74

ORATIO

Sub auspiciis seculi post C. N. decimi octavi
Kal. Januar. Anno Æræ Dionysianæ

CIO ICCI

Ad alumnos Portenses

habita,

Cum auctario Epistolæ

Ad plur. Rever. atq; Clariss.

DN. M. JOHANNEM AN-
DREAM *Bleichem!*

Scriptæ

a

M. DANIELE *Müller!*

Illustri Scholæ Portensis Rectore.

Numburgi Typis SALFELDII.

